



AK. 216.7.

INDEX


V  
g  
1648

CINGLIANO<sup>o</sup>  
RVM QVORVNDAM ERRO-  
rum, in Catechesi Vitebergensi noua  
comprehensorum.

ANNOTATVS.

A

MINISTRIS ECCLESIAE  
Hallensis in Saxonia.



Anno Christi.  
1574.

grün auf mittlerem  
rechte Seite

ANNO. 1571.

# INDEX CINGLIA/ NORVM QVORVNDAM ERRORVM, qui in Catechesi VVitebergensi noua continentur.



Atechismus recens Witebergæ editus, impia dogmata Cinglianorum continet, & probat, id quod in sequentibus articulis deprehendi potest.

I. In quæstione, qua ratione copulatæ sint duxæ in Christo naturæ, Catechetæ planè omittunt exaltationem humanae naturæ. Non enim volunt in diuinam gloriam & celsitudinem, assumptam esse carnem Christi. Hoc nihil aliud est, quam negare carnem assumptam esse in Deum. Ita Catechitæ noui, tantum vocabulum vñionis personalis retinēt ipsam autē vñionē humanae naturæ cum Deo, quantū in ipsis est, tollūt, & sic de incarnatione Filij Dei nō rectè sentiunt. Cæterū de humana natura Christi sentiunt & dicunt, quod diuinitas eā gestet, sustentet, foueat: quæ sunt communia omnium hominum maximè fidelium. Sic Cingiani Christo homini nihil amplius tribuunt, quam alijs sanctis. Hic error impius est & blasphemus in Christum.

II. In quæstione quomodo Christus sit Mediator, dicunt quod interpellare & ubiq; adesse Ecclesæ, tribuatur quidem totipersonæ Christi (videlicet verbaliter) sed sit naturæ diuina & omnipotens. Hoc Cinglianorum dogma est, quo ponunt in cœlo Christum in utraq; natura, in terra autem tantum in diuina natura. Sic illi personam Christi diuidunt secundum loca, & gloriam Mediatori debitam, quod interpellet pro Ecclesia, ab homine Christo auferunt; sic & adorationem illi detrahunt,

& præ-

& præsentiam carnis Christi in cœna sacra tollunt. Atq; hoc est  
fundamentum omnis erroris Cinglianorum, quem sic instil-  
lant animis Catechetæ VVitebergenses.

III. In articulo Fidei de ascensione Christi ad cœlos, vrs-  
gent Catechetæ corporalem locationem Corporis Christi in  
certo cœli loco: quæ locatio non docetur in Corpore doctrinæ  
Philippi. Sic deprauant & locum Petri Actor. 3. & pro his ver-  
bis ἐρανοῦ δέξαθαι cœlum capere, ipsi fingunt cum suo Beza  
ἐρανώ διεχθῆναι cœlo capi: & sic Dominum cœli cœlo subiçis-  
unt. Est autem dogma proprium Cinglianorum, quo volunt  
tollere Maiestatem, in quam assumpta est caro Christi, quam  
& Theologí VVitebergenses negant, ut in Disputatione eos-  
rum contra veram communicationem Idiomatum apparet. Et  
Cingiani ex locatione Christi in cœlo, etiam præsentiam cor-  
poris & sanguinis Christi in Sacramento euertere conantur.  
Sed fundamentum dogmatis eorum, quod Christus corpore  
suo alligetur ad locum: & consequentia, quod non sit nec possit  
esse præsens in sacra cœna corpore & sanguine suo, impia &  
blasphema est.

III I. In articulo de sessione Christi ad dexteram Patris, eas-  
cent, quod exaltatio ad regnum & Sacerdotium, respiciat ad  
humanam naturam. Diuinitas enim non exaltatur. De huma-  
na autem Christi natura dicunt, quod ea in glorificatione acces-  
perit dona seu ornamenta seu prærogatiua præ omnibus crea-  
turis. Sic humanam naturam assumptam à Filio Dei, euehunc  
quidem supra creaturas, sed in Deum non euehunc. Inde ap-  
paret, quam vilem habeant assumptionem carnis, quod Verbū  
caro factum, in quo omnes p̄ij sciunt esse summum mysterium  
religionis Christi anæ, & assumptionem credunt esse talem, que  
Deum faciat hominem, & hominem Deum, ut Augustinus di-  
cit. Sed hi errores gloriae Christi detrahentes, omnes in Cinglia-  
nismo continentur, ad quem non absurè accedunt Theologi  
VVitebergenses in sua Catechesi noua.

V. De Sacramentis Anabaptistaræ & Sacramentarij sentiunt  
quod per



quod per ea tantum signentur res spirituales, non autem re ipsa per ea nobis donentur, videlicet gratia Christi & salus per Christum parta. Et Catechetæ nouitij manent in illis terminis, quod Sacraenta sunt ritus, signa, testificationes, testimonia, pignora: & quanquam etiam dicunt afferri & exhiberi in ijs beneficia Christi, tamen glossam addunt, quod exhiberi, tantum accipiant pro testificari, non pro reali exhibitione. Hic error Anabaptistas & Cinglianos omnes dementat, ut Baptismum & Cœnam Domini tantum habeant pro signis & representationibus mundationis & Viuificationis spiritualis: ut in Catechismo Heydelbergensi expressè docetur. Sic principalis usus Sacramentorum, donatio scilicet meriti Christi, per hos Catechistas negatur & tollitur, ut in sequentibus magis conspicietur.

### DE BAPTISMO.

VI. In doctrina de principali usu Baptismi tantum dicunt Catechetæ noui, quod Baptismus sit testificatio, nos reconciliari Deo. Nihil autem dicunt, quod Baptismus sit medium, per quod donetur reconciliatio & liberatio à peccato. Anabaptistæ enim & Cingiani nolunt per lauacrum aquæ donari nobis reconciliationem cum Deo, iustitiam Christi & vitam: sed volunt, quod Baptismus aquæ sit tantum representatio seu figuratio mundationis internæ, ut Calvinus loquitur & Heydelbergenses Catechetæ.

Hic error tollit efficaciam Baptismi, & pro re, quæ credentibus donatur, videlicet remissione peccatorum, & gratia Christi & salute, tantum figuram & nudam significationem supponit. Verba Lutheri in Catechismo paruo efficacissima sunt: Was nützt oder wircket die Tauffes Antwort. Sie wircket vergebung der Sünden/sie erlöset vom Tode vnd Teuffel/vnd gibt die ewige Seligkeit allen die es glauben: wie die wort vnd verheissung Gottes lauten. Hæc verba Lutheri ex ipsis promissionibus divinis desumpta sunt, & opposita Anabaptistis & omnibus fanaticis, qui de usu & efficacia Baptismi non rectè docent. Sed ecce noui Catechetæ VVitebergenses, ea verba Lutheri de industria exclusi.

stria excludunt in Catechesi noua, & rem ipsam videlicet exhibitionem realem beneficiorum Christi per Baptismum, non volunt docere cum Lutherio, dum exhibere interpretantur pro testificari: quasi testificationes Dei non essent exhibitiones reales in Baptismo, qui aqua & verbo peragitur per ministrum Ecclesiae. Error detestandus est ex actione Christi, recipientis nos vere, facere tantum signum actionis, figuram & representationem: quasi salus non in Baptismo detur credentibus, sed tantum signatur: quasi altunde salus expectanda sit &c.

## DE COENA DOMINI.

VII. De Coena Domini planissimis, & ad confutandos Cinglianos efficacissimis verbis loquitur Lutherus in paruo suo Catechismo: Das Sacrament des Altars ist der ware Leib vñ Blut unsers Herren Ihesu Christi / vnter dem Brot vnd Wein/ vns Christen zu essen vnd zu trincken von Christo selbs eingesetzt. Sed ecce haec quoq; verba excludunt e suo Catechismo nouitij Catechetæ, & rem simul ipsam reñciunt.

I. Nihil enim docere volunt in tota Catechesi sua, de praesencia corporis & sanguinis Christi in coena sacra.

II. Nihil quicquam docent, quod distributio panis & vini, sit vera distributio corporis & sanguinis Iesu Christi.

III. Nihil docent de eo, quod communicantes ore accipiunt panem & corpus Christi, Vinum & sanguinem Christi: quasi si ignorent quod oris sumptio in coena sit medium communicationis Spiritualis per fidem iuxta verbum Christi: hoc facie in mei commemorationem: aut quasi ignorent, quod sublato medio fides quoq; tollatur.

III. Nihil dicere volunt Catechetæ, quod verba Christi, hoc est corpus meum &c. sine glossa accipienda sint, vt sonant.

V. In quaestione etiam, de manducatione & bibitione indigna, prorsus tacent, quod per eam non euertatur veritas verborum Christi, Accipite comedite, hoc est corpus meum: Item, bibite, hic est sanguis meus. Atqui haec sunt substantialia in doctrina de Sacramento coenæ Domini: & sciunt Catechetæ, quod

quod Sacramentarij illa omnia impiè perueriant. Hæc quia  
consultò prætereunt Catechetæ VVitebergenses, manifestum  
est, quod veritatem de Christi Sacramento docere nolint, & à  
Lutheri Catechismo recedant, & Sacramentarios iustificant po-  
tius, quam arguant. Saltem autem dicunt, Filium Dei adesse in  
sumptione: id & Cingiani dicunt; sed intelligunt secundum di-  
uinam naturam. Item inculcant, quod sumptio testetur &c.  
quod sit pignus. Quia hoc volunt & dicunt Cingiani. Retinet  
autem, sed tantum ad speciem, verba Pauli 1. Cor. 10. de com-  
municatione corporis: sed ea cum Cingianis torquent in alie-  
num sensum. Paulus dicit, quod panis, quem frangimus, sit cō-  
municatio corporis Christi: quod videlicet cum pane exhibea-  
tur & accipiatur corpus Domini: Idem dicit de calice. Et Pau-  
lus vult, præsenter distribui & ore sumi corpus & sanguinem  
Christi, cum Pane & Vino: quia coniungit panem & corpus  
Christi, poculum & sanguinem Christi per vocabulum com-  
municationis.

Hæc est Pauli sententia conueniens cum verbis Christi  
hoc est corpus meum. Sed Cingiani & Christi & Pauli verba  
planè inuertunt. Panem enim & corpus distrahunt: quia cor-  
pus Domini in cœlo locant, communicationem nullam cum  
pane, sed tantum spiritualem volunt. Si Paulus tantum vellet  
spiritualem communicationem exclusa corporali, & sentiret  
esse corpus Christi locatum in cœlo absens à pane, non diceret  
panem esse communicationem corporis Christi. Si vellet sans-  
guinem abesse à poculo, Non diceret calicem esse communica-  
tionem sanguinis Christi, nec de corpore & sanguine Christi  
distinctè diceret, &c. Sic manifestum est, fanaticos abutis vers-  
bis Pauli, & ea torquere in suum sensum insigni sacrilegio. Sed  
Deus non irridetur.

VIII. In quæstione, quibus modis profanetur Coena Do-  
mini, manifestè arguunt profanationes apud Papistas: sed Sa-  
cramentarios non nominant, & profanationes eorum tacent:  
quasi non sit profanatio peruertere verba Christi: Accipite eos  
medite

medite, hoc est corpus meum: & præsentiam corporis & sanguinis Christi, eiusq; distributionem & sumptionem negare. Ita parcunt Catechetae Cinglianis, & satis ostendunt, se ipsorum impia dogmata non improbare. Arguunt autem, ut profanatores eos, qui negant sumptionem panis & vini esse communicationem corporis & sanguinis Christi. Hanc accusationē Cinglianī non agnoscunt: quia spiritualem communicationem corporis & sanguinis Christi docent, & signari eam per sumptionem Panis & Vini valde contendunt. Sed hanc persuersionem Testamenti Christi & impiam signationem, facile tacent VVitebergenses. Item arguunt & eos, qui Sacramenta dicunt esse nuda signa & vacua Symbola. Hanc quoque accusationem Cinglianī à se deriuant: quia dicunt, Sacramenta esse representantia & testificantia signa non inania. Et si autem in rei veritate cœnam Domini tantum habent pro signo communicationis spiritualis corporis & sanguinis Christi, in cœlo contenti: tamen verbis palliant errorem, & vacua Symbola non minare nolunt, quasi Iudas non neget Christum, qui verbis dicit: Aue Rabi. Et usitatum est Fanaticis aliud dicere, & aliud facere: & Spiritus Sacramentarius semper tegit & palliat verbis impietatem. Sed qui habet aures ad audiendum, audiat, & non abeat in consilium impiorum, quia Deus vindicabit adulterantes verbum Christi.

Amen.

•§•

•§•

•§•

•§•

Yg. 1648 da

M?

**ULB Halle**  
004 839 315

3





**Farbkarte #13**

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Inches  
Centimetres

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

U.216.7

INDEX


Vg  
1648

SINGLIANO;  
VM QVORVNDAM ERRO,  
rum, in Catechesi Vitebergensi noua  
comprehensorum.

ANNOTATVS.

A

MINISTRIS ECCLESIAE  
Hallensis in Saxonia.



Anno Christi.  
1571.

*[Handwritten notes in brown ink]*

